


Johann Ludwig Engel

**Memorabilia Qvaedam Graboviensia, in quibus est maxime Memorandum illud,
quod Serenissimus Princeps Ac Dominus, Dn. Carolus Leopoldus, Dux Regnans
Megapolitanus ... MDCCXXXVII ...**

Rostochii: Typis Joh. Jac. Adleri, [1737]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1794128360>

Abstract: Programm ad diem natalem Caroli Leopoldi

Druck Freier  Zugang



2°

Carl Leopold.
1713 - 1748.

Mkl f I

1926 4°



cb



35 Stücke

Melby. f I.

1926. 40

MEMORABILIA QVÆDAM GRABOVIENSIA,

^{in quibus est}
maxime MEMORANDUM illud,
^{quod}

SERENISSIMUS PRINCEPS
AC DOMINUS,
DN. CAROLUS
LEOPOLDUS,

DUX REGNANS MEGAPOLITANUS,
PRINCEPS VETUSTÆ GENTIS HENETÆ, SVERINI, AC
RACEBURGI, COMES ITEM SVERINENSIS, TER-
RARUM ROSTOCHII & STARGARDIÆ

DYNASTA,
Academiæ Rostochiensis PATRONUS, ac CAN-
CELLARIUS MAGNIFICENTISSIMUS,
PRINCEPS AC DOMINUS Noster Longe Clementissimus,

ipsa NATIVITATE Sua

primum GRABOVIÆ datus est,

ORATIONE quâdam FESTIVA,

festo die,

qui

CELSISSIMI PRINCIPIS auspiciatissimus,

quingagesima jam nona vice,

audit NATALIS,

hoc est

Sexto calend. Decembr. A. O. R. MDCCXXXVII,

communicanda offert :

ad eumque Actum

Academiæ solemnem;

dicto die, hora X. antemeridiana,

inter Conventus musicos

hilariter,

interque ardentissima Vota

devote,

& instituendum, & absolvendum

MAGNIFICUM DOMINUM RECTOREM, UTRIUSQUE MAGI-
STRATUS PROCERES GRAVISSIMOS, OMNESQUE OMNIUM
ORDINUM, & DIGNITATUM LITERATOS,
LITERARUMQUE FAUTORES,

Suis Quosque Titulis Conspicuos,

in Auditorium consvetum,


ea, qua par est, animi observantia

invitat

M. JOAN. LUDOV. CRUGER,

Phil. rational. Prof. Duc. Publ. Ord.

ROSTOCHII, Typis JOH. JAC. ADLERI, SEREN. PRINCIP. & ACAD. Typogr.



Desiderari Terrarum meclenburgicarum historiam, non eam modo, quam frustra exquiras ubique, hoc est, omnibus numeris absolutam; sed & paulo plenioram quamdam, quæ expectari omnino potest, quis tam est rudis rerum nostrarum, qui nesciat? Megapolis nostra, tantum abest, ut aliis cedat terris, & rerum, vel ultimis retro temporibus gestarum, gloria careat, etiam pluribus gentibus nostrates palmam præripuerunt. In hoc tamen regionem non prætulerim nostram, quod historia patria deest. Videar forte non vidisse Catalogum Scriptorum nostrorum, quem *Cl. Joan. Hübnerus* Nicolai Marescalci Thurii Monti Stellarum, ipsius quidem cura iterum conspicuo, præmisit: Immo vero vidi, & quos adhuc insererem ipse, auctores habeo. Ex singulorum autem facile patescit inspectione, neminem adhuc vel omnia, vel eo etiam, quo debebat, ordine atque nexu, quæ cœpit, persequutum esse: quin est dicendum, nec opus aliquod absolutum cudi posse, vel singulis collatis. Hinc inculpationes illæ, quibus quasi, de incuria quadam rerum domesticarum, nobis exprobrant quidam: hinc illæ lacrymæ, sive quærelæ aliorum, historiæ nostræ, laudabili instituto, hodie studiosorum. Sunt enim, qui, defectum suppleturi, operi manum aut admovent, aut admoveere satagunt, probe perspicientes, quantam & præstet utilitatem, & decus conciliet, & denique adferat multis jucunditatem patriæ historiæ notitia publica; ignoratio vero, atque neglectus, quantum incommodi ferat, & adjunctum habeat ignominia. In causas defectus non inquiram omnes; quasdam tamen attingam, dum quæram: *Qua ratione, quibusve mediis Historia sit paranda Meclenburgica?* Haud enim inutilis videtur, nec aliena ab instituto nostro, quæstio: & quamvis via tentanda nonnullis sit forte notissima; hi tamen ipsi minus ægre ferent, quum & se, & alios admonitos legant. Nam & admonuisse juvabit.

Duplicis autem sunt generis, quæ commendabimus, media: *alia negativa, positiva alia.* Primum enim *remediis* opus est, ad tollenda quædam impedimenta, multum obstantia, ne quis quid tentare ausit. In quibus est præjudicata multorum opinio, occurrere in historia nostra, quæ nec commode exponi publice possint, nec debeant reticeri ab Historico, ingenuo pariter, atque fidem meritorio. Quibus quidem, se non vera magis, atque falsa sentire, agnoscendum est. Equidem nemo eos dixerit errare, quum optima fide, quum caute & circumspicte, quum reverenter erga suos Principes, gentemque, Historicis nostris agendum, judicant. Verum enim vero, alia ratione & falli eos, & fallere, deprehendi. Instituti enim super hac re sermonibus, id, quod in historia sit reticendum nostra, exploravi, fateor, adhuc a nemine. Ego quidem, tantum abest, ut, cæco patriæ ductus amore, videam gentem sine labe, excusatiusque subinde peccantem, ut potius varia, atque nefaria cognoscam vitia, facta, probra, quibus fuerunt implicati cum populo principes, cum principibus sacerdos. Sed vero pauper ubique jacet: ubique lolia crescunt, & alicubi forte, quam in terris nostris, majora. Itaque nemo Historicus historiam vel Imperatorum, vel aliam quamcunque, scribere debuisset, ut, quum in omni sint ulcera, hoc est, vitia tangenda, præstet habere nullam. In historia vero meclenburgica, ceu jam innuimus, plurima quoque deprehenduntur præclare facta, & singularia pietatis, justitiæ, fortitudinis, omnium denique virtutum exempla, quæ qui legat, quam in admirationem possit rapi, & ad imitationem svaviter adlici, ipsa optime conductura esset experientia. Præterea est quoddam scribendi genus modestum, & castigatum, quo rebus obscænis adhibentur verba honesta, infandis & crudelibus benigna, ignominiosis blanda, ut veritas quidem pateat caste, integreque, attamen caute. Historiam sic descripturam nostram quis unquam vituperet?

Obstat vero parandæ eidem singularis quædam nostratium quoque invidentia. Est inter vitia eruditorum, quod illorum haud pauci librorum suorum, maxime manuscriptorum quorundam, adparatum abditis quasi, & inaccessis locis recondant, aut, si mavis, abscondant, neminem intromittentes, qui vel oculo eos usurpet. Est inter vitia eadem invidia Megapolensium, qui, si a paucis discesseris, ea, quæ habent collecta meclenburgica, sive scripta, sive fragmenta, edita pariter, ac inedita,

dita, historiae nostrae & documenta, & supplementa; quasi in sanctuarium aliquod intulerunt, tamquam mysteria, non temere propalanda, eadem prementes. Gloriarum quandoque audias, collectionem ejusmodi scriptorum a se factam; gloriam autem summam in eo poni credas, ut, quidquid ex iis sapiunt, sapiant sibi. Haec igitur corrigenda, detestanda, fugienda est invidia. Vitio illis minus esset dandum, sua si, non nisi data pecunia, cum aliis communicarent; laudi vero minus, immo jure optimo dabitur vitio, quod sibi solis adservent omnia, praesertim, si parum utiliter. Utinam surdis non narretur fabula!

Culpanda in aliis, si non eadem, quam diximus, invidentia, diffidentia tamen sui, & ambitio quaedam, qua, a promovenda patriae historia, retrahi se, atque deterreri patiuntur. Hi quidem, varia monumenta perreptantes, studiose nonnulla colligunt, collecta ordine quodam disponunt, disposita percensent; sed publici juris ea facere detrectant, satius arbitrati, quum nondum satis elaborata, nec omnino perfecta habeant, nihil dare. Quibus omne remedium paratur, si agnoscant, se neque orbi literario, neque proprio honori, sic satis consultum ire. Bene Poeta:

Adde parum parvo, magnus cumulatur acervus.

Melius & agerent illi, si, pro rata, singuli conferrent aliquid, ut ex tenuibus initiis, qualia pleraque res maximae habent, absolutum tandem succedat opus. Suo quoque jure, omniumque recte sentientium judicio, ad ipsos redundaret omnis ea gloria, ad quam grassari videntur, coepta illorum absolventes: siquidem hi sine illis non sapiunt; illi quidem his viam praeverunt, & ubivis cum laude citantur. Est saltem utrisque par referenda gratia.

Non possum, quin ultimo loco, inter removenda impedimenta, referam incuriam, atque negligentiam eorum, qui, tum in ludis publicis constituti, tum privatim ingenia formantes, omnem potius extraneam, quam domesticam historiam, juventuti praepostere commendant, atque instillant. Hinc fit, ut rei ignotae deinceps nulla cupido, aut, si qui, sive felicitate quadam, sive naturae bonitate, sive monitu aliorum, rectam sequuntur viam, mox mox desistant, re sibi satis ardua, ad quam nunquam formati sunt, deprehensa. Videant ergo Praeceptores, & sedulo curent, curae suae fideique commissi ne evadant in patria hospites.

Attingemus jam *media* parandae historiae nostrae *positiva*. Atque hic liceat primo, ceu par est, loco innuere, quantum pendeat e nutu clementissimo *SERENISSIMI Terrarum Megapolensium PRINCIPIS*. Scilicet, longe maximum nutus iste momentum ad rem, quam inquirimus, adfert. Veluti, quum sol excitat segetem, ut dense succrescat: ita sane, Magnatibus incepta eruditorum secundantibus, & quod magis est, studia quaedam imperantibus, excitantur plurimi, primum studium in eo ponentes, ut obediant. O! si felicissimum illud jam adesset (ut adsit, Numen faxit!) temporis punctum, quo suas terras, historice describendas, ipse velit, ipseque jubeat clementissime, res qui, post DEum, moderatur nostras: Quis non speret, fore, ut ferveat, quod jam tepet, opus. Singuli enim, opinor, rerum nostrarum haecenus curiosi, non sunt instructi ab iis, quibus sibi invicem, in perficienda historia, satisfaciunt; at vero, non modo plurimum argumenti historici, sed ipsum quoque nostrae historiae nexum, qui potissimum desiderari videtur, supeditabit instructissimum Ducale, quod vocatur, Archivum, gratiosissime, licet non ultra, quam par est, aperiendum. Hoc scilicet est, quod a nutu, nobis exoptato, desideratoque illo, neutiquam secludendum, putamus. Utinam jam dudum fuissent Mæcenates, qui terrarum nostrarum Augustis rem optimam de meliori commendassent! Sed adhuc salva res est.

Ceterum quoque viri, ingenio atque judicio praestantes, nostrates praesertim, rerumque domesticarum adhuc seduli indagatores, ac collectores, strenue pariter, atque ingenue, quod suum est, agant, conferentes ea quisque, quae & collecta, & instituta habent, in communem usum. Quomodo vero? Novimus, ubique ferme varias eruditorum societates vel floruisse, vel adhuc florere, multumque rem juvare literariam. Quas inter innotuit pariter Collegium aliquod, imperiale historicum, vulgo das *Historische Reichs-Collegium*, inquirendae, emendandae, perficiendae sacri Imperii Romani historiae, praecipua quadam ratione intentum. Ita quidem, publica quadam scriptione, quam Delineationem vocat, svaserat cl. *Christianus Franc. Paulini*, resque viris excellentissimis, summisque valde probata fuit; singulis autem

autem membris id præsertim officii datum, ut historiam patriæ suæ indagarent. Vide si die *Durchlauchtige Welt* part. III. sect. VIII. p. 36. Quid igitur obstat, quominus ejusmodi societas itidem historica constituatur, sed specialior, & megapolitana. Duplex tamen hic quaestio erit: altera de cogenda hac societate; altera de eadem recte ordinanda. Sed forte quis quando, consilium hoc legens nostrum, auxilium feret, tentans, vel publica invitatione omnes, qui nostras res adamant, vel privata quosdam, alios rursus adlecturos, sibi sociare. Modo abstineant se, qui vel nulla, vel exigua sunt auctoritate: vir gravis sit, oportet. Ad constitutionem hujus societatis ipsam quod attinet, certis quidem ea legibus definienda est, atque conditionibus; sed, quas demum, pro re nata, statuere magis, quam præstitueret licet. Præcipua quædam, eaque statim ab initio observandæ, hæc sunt: Primum id quisque agat, ut de suis, quæ habet, monumentis singulis etiam reliquis constet membris. Deinde de ordine tractandi, sive historico instituat consultatio. Tum porro, quis, quam partem, sive solus, sive junctis sociis, omnium optime persequi possit; candidè dijudicetur, & votorum pluralitate cedat suum cuique. Præterea jam alter alteri ne deneget, quibus ille opus habet; documenta vero, quibus vel pluribus, vel etiam omnibus simul opus est, conferant, prævio quodam volumine publice describenda. Denique laboris quisque sui censuram pluribus lubens concedat, & si styli debeat evitari diversitas, ad unum aliquem postremo, quod plures rite digessere, plene enarrandum deferatur. Supervacaneum ducimus monere, statim &, quantum pro suis cuique curis, factisque accessionibus, debitum sit, tantum expectandi ex opere pretii decernendum ei, sive promittendum esse.

Ad integrarum vero provinciarum historiam faciunt & singulares, eaque historica descriptiones urbium. Scilicet, unius rei plures possunt & fines, & usus esse. Itaque non negamus, in describendis urbibus, præcipuum quemdam respectum agi, ut res urbana enarrentur, earumque gloriosa pariter, ac grata adsit memoria, & monumenta, quæ ad easdem præsertim respiciunt, conserventur. Sed vero si recte procedat narratio, fieri omnino nequit, quin simul res tangantur provinciales. Fidem adfero faciunt, quas Megapolensium urbium recensiones habemus; habemus autem quatuor, Rostochiensem quidem *Pet. Lindebergii*, Sverinensem *Bernard. Hederici*, Parchimensem *Michael. Cordesii*, & Gustavoviensem, quam addidit *Frid. Thomas*. Quibus, ac præsertim ultimæ, qui inesse neget, quæ ad historiam terrarum megapolensium spectant, libellos parum inspexisse, judicandus est. Hinc & a multis majorem gratiam inierunt cl. Auctores, multique, exemplum ab iis alii ut caperent, optavere.

Ad quod quidem, fateor, attendens ego, non intermittendum duxi, quin varia, quæ ad ejusmodi historicam urbem patriæ, hoc est, *Grabovia meclenburgica*, Descriptionem pertinerent, colligere tentarem. Pœnituit interdum operæ, quum vidi, longe difficilius historica illa, quam quæ meditando adsequimur, inquiri; quandoque tamen & delectavit, quam non de nihilo, nec pluribus ingratis judicavi futuram, collectio. Nec nunc me pœnitebit, occasione ac oportunitate data, *Memorabilia quædam* ex ea prælibare.


Nimirum favet prop osito Dies XXVI. mensis hujus Novembris; Qui uti, annis abhinc LVIII, primus natalis fuit *Serenissimo atque Celsissimo Principi ac Domino, DOMINO CAROLO LEOPOLDO*, Duci Regnanti Megapolitano, Principi veteris Gentis Henetæ, Sverini, & Raceburgi, Comiti item Sverinensi, Terrarum Rostochii & Stargardie Dynastæ, Patrono & Cancellario Academiæ nostræ Magnificentissimo, Domino nostro longe Clementissimo: ita hoc iterum anno, perendie quidem, recurrens, maxime nobis est solemnus. Faxit DEUS T. O. M., ut SERENISSIMO serenus maxime, longeque faustissimus illucescat, ex quo tandem aliquando nubilis succedant juba, ut de Megapoli sua restituta PRINCEPS, de PRINCIPE suo, mala cuncta eluctato, gaudeat Megapolis. Anticipando autem in hæc gaudia vota que solvor; namque restat, ut ipsum Natalem perendinum celebret Academia, me quidem unanimibus Patrum Conscriptorum votis delecto, qui, solemniquadam panegyri, publicus existam devotissimorum animorum interpres.

Memorabilia igitur quædam Graboviensia sponendi. Urbi enim meæ singulare aliquid decus cum possim conciliare, CELSISSIMUM PRINCEPEM inter Principes, Graboviæ natos, singulariter commemorando, num quæso omittere fas est? Patriæ autem Patri, pro singulari sua, ac naturali quadam, qua in patriam urbem non ferri nequit, propensione ac clementia, argumentum minus displiciturum, confido. Quapropter jam etiam MAGNIFICUM DN. RECTOREM, Utriusque Reipublicæ Procures Gravissimos, Omnium Facultatum Doctores Prænobilissimos, Verbi Divini Antistes Religiosissimos, Philosophia Magistros Præcellentissimos, Literarum Studiosos & Generosos, & Nobilissimos, ac denique omnes Literatos, Literatorumque Fautores Honoratissimos, omni, qua decet, observantia pariter atque humanitate, vehementer volo rogatos, ut ad diem dictum XXVI. Novembris, hora ante-meridiana audita decima, Auditorium Academicum frequentent, benevolas dicturo aures præbituri, votisque vota juncturi. Quod quidem me impetraturum certissime, nequitquam ea, quæ Singulorum singularis est, & pietas, & humanitas, me finit dubitare.

P. P. die xxiv. Novembr. A. O. R. MDCCXXVII.



33
LBMV Schwerin
000 195 448





oria nostræ & documenta, & supplementa; quasi in sanctuarium aliquod
at, tamquam mytheria, non temere propalanda, eadem prementes. Glo-
ndoque audias, collectionem ejusmodi scriptorum a se factam; gloriam
mmam in eo poni credas, ut, quidquid ex iis sapiunt, sapiant sibi. Hæc
rigenda, detestanda, fugienda est invidia. Vitio illis minus esset dan-
si, non nisi data pecunia, cum aliis communicarent; laudi vero mi-
no jure optimo dabitur vitio, quod sibi solis adservent omnia, præfertim,
utiliter. Utinam surdis non narretur fabula!

anda in aliis, si non eadem, quam diximus, invidentia, diffidentia tamen
nbitio quædam, qua, a promovenda patriæ historia, retrahi se, atque de-
tiuntur. Hi quidem, varia monumenta perreptantes, studiose nonnulla
collecta ordine quodam disponunt, disposita percensent; sed publici juris
detrectant, fatius arbitrati, quum nondum satis elaborata, nec omnino
abeant, nihil dare. Quibus omne remedium paratur, si agnoscant, se ne-
iterario, neque proprio honori, sic satis consultum ire. Bene Poëta:

Adde parum parvo, magnus cumulatur acervus.

agerent illi, si, pro rata, singuli conferrent aliquid, ut ex tenuibus ini-
ia pleræque res maximæ habent, absolutum tandem succedat opus. Suo
re, omniumque recte sentientium judicio, ad ipsos redundaret omnis ea
quam grassari videntur, coepta illorum absolventes: siquidem hi sine
apiunt; illi quidem his viam præiverunt, & ubivis cum laude citantur.
urrisque par referenda gratia.

possum, quin ultimo loco, inter removenda impedimenta, referam incu-
ne negligentiam eorum, qui, tum in ludis publicis constituti, tum priva-
a formantes, omnem potius extraneam, quam domesticam historiam,
præpostere commendant, atque instillant. Hinc fit, ut rei ignotæ dein-
cubido, aut, si qui, sive felicitate quadam, sive naturæ bonitate, sive
am sequuntur viam, mox mox desistant, re sibi satis ardua, ad
ati sunt, deprehensa. Videant ergo Præceptores, & sedulo cu-
ue commissi ne evadant in patria hospites.

media parandæ historiæ nostræ positiva. Atque hic liceat pri-
o innuere, quantum pendeat e nutu clementissimo SERENIS-
polensium PRINCIPIS. Scilicet, longe maximum nutus iste
quam inquirimus, adfert. Veluti, quum sol excitat segetem,
ta sane, Magnatibus incepta eruditorum secundantibus, &
a quædam imperantibus, excitantur plurimi, primum stu-
ut obediant. O! si felicissimum illud jam adesset (ut adfit,
oris punctum, quo suas terras, historice describendas, ipse
lementissime, res qui, post DEum, moderatur nostras: Quis
erveat, quod jam tepet, opus. Singuli enim, opinor, rerum
uriosi, non sunt instructi ab iis, quibus sibi invicem, in per-
sfaciant; at vero, non modo plurimum argumenti historici,
træ historiæ nexum, qui potissimum desiderari videtur, sup-
um Ducale, quod vocatur, Archivum, gratiosissime, licet non
aperiendum. Hoc scilicet est, quod a nutu, nobis exoptato,
cutiquam secludendum, putamus. Utinam jam dudum fuif-
errarum nostrarum Augustis rem optimam de meliori com-
c salva res est.

vir, ingenio atque judicio præstantes, nostrates præfertim,
um adhuc seduli indagatores, ac collectores, strenue pariter,
suum est, agant, conferentes ea quisque, quæ & collecta, &
omunem usum. Quomodo vero? Novimus, ubique ferme
ietates vel floruisse, vel adhuc florere, multumque rem ju-
as inter innotuit pariter Collegium aliquod, imperiale histo-
torische Reichs-Collegium, inquirendæ, emendandæ, perficien-
ani historiæ, præcipua quadam ratione intentum. Ita qui-
n scriptione, quam Delineationem vocat, svaserat cl. Christian.
e viris excellentissimis, summisque valde probata fuit; singulis
autem

